ORIGENES
Salzburg (Umgebung), 1. Hälfte 9. Jh. Seite 151r
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26146
Copyright: Admont, Benediktinerstift



similitudo tamen haec non ad naturam sed ad gratiam
reuocatur. Uerbi causa ut si dicamus picturam similem
esse eius cuius imago in pictura uidetur expressa. quantum
ad gratiam pertinet uisus similis dicitur. Quantum ad
substantiam longe dissimilis; illa enim species carnis est
et decor corporis uiui. Ista color fucus est et cera tabulis
sensu carentibus superposita; Nullus ergo in diis similis
domino. nullus enim inuisibilis nullus incorporeus nullus
inmutabilis nullus sine initio et sine fine. nullus creator
omnium nisi pater cum filio et spiritu sancto. Extendisti
dexteram tuam et deuorauit eos terra. Impios quidem et hodie
deuoret terra. Aut non tibi uidetur a terra deuoreri ille qui semper de terra cogitat.
qui semper terrenos habet actus. qui de terra loquitur de terra
litigat terram desideret et omnem spem suam ponit in terra qui ad caelum
non respicit qui futura non cogitat qui iudicium dei non meruit nec
beata eius promissa desideret. sed semper de presentibus cogitat et ter
rena suspiret; tale cum uideris. dicito quia deuoreum eum terra.
Sed et si quem uideris luxuria carnis et uoluptatibus corporis
deditum in quo animus nihil ualet. sed totum libido car
nis obtinuit. dicito de hoc quia deuoreuerit eum terra.
Adhuc memoue quod ait Extendisti dexteram tuam
et deuoreuit eos terra. quasi ut deuorarentur a terra
haec causa fuerit quod extendit dominus dexteram suam.
Si consideres quomodo dominus exaltatus in cruce tota die